



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

11 Aprilis. 3 Idus April.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

Lauretum, qua Dominicâ Lactari
consecratur. Tu sis Regina cordis mei
tibi confecro latitiam meam omnem
tibi dono, qua ago, omnia. Tu offer Deo
illa, & me!

S. MARIA, qua Sancto tuo Fulber-
to, agro ac sitienti, lac è purissimis tua
uberibus propinâsti. Non sum dignus
his deliciis tuis: sed fac me tu dignum
ut non excidam ab æternis!

S. MARIA, ad quam in Eremita
Helvetia visendam repens Anna puel-
la incurvis pedibus, & contractis ner-
vis ab infantiâ miserabilis, in ipso ad
itinere, hoc die, anno 1580, persanctus
est ab obvio viro, candidis vestibus
spectabili, & paulò post evanescente,
postquam ei auctor fuit, ut iter ad
prosequeretur, Deum coleret, sacra
lubens adesset: ita Deum, ita te De-
Matrem illi fore propitiam. Sana me
Domina: tolle omnia, qua me sive in
corpore, sive in animâ impediunt, quæ
minus ita te colam, uti par est. Perfice
gressus meos in semitis Dei, ô Mater
Dei!

II Aprilis. 3 Idus April.

SANCTE Guthlaee, è milite Eremi-
ta, quo nascituro, natalis tua
domûs portam manus rubra & ful-
gens

gens, Cruce signare conspecta est:
 quem, à dæmone ad desperationem
 tentatum, visens S. Bartholomæus
 Apostolus, *Confortare*, aiebat, *fili, &*
esto robustus. manum tuam misisti ad
fortia. non decet tanti propositi pro-
fessorem, modico tentationis turbine
subverti. Impulsus everfus es, ut cade-
res; sed ego oravi pro te, & adjutus es,
 qui inferni abyssum tibi ostensam
 vidisti, ad oculorum, aurium, na-
 rium, ac totius corporis tormenta,
 istic visu, auditu, odoratu, gustatu,
 tactu percepta, attonitus, dæmoni-
 bus te ad illa damnatum contem-
 dentibus; at à S. Bartholomæo,
 Apostolo tuo, fugatis. quod cum
 fieret, choros audisti psallentium
 in excelsis: *Ibunt Sancti de virtute in*
virtutem; videbitur Deus Deorum in
Sion: qui ægrum tumidum cilicio
 tuo cinxisti; & illicò persanasti: cui
 quotidie manè ac vesperè specta-
 bilis Angelus adfuit, quem aiebas
 esse *Angelum tuæ consolationis*, te
 variè in tentationibus firmantem
 ac recreantem, & arcana cælestia
 pandentem: è cuius morientis ore
 suavitas tanta erupit, ut rosæ istic
 sparsæ, ac effusus odor balsami vi-
 deretur; & eodem tempore con-
 specta est turris ignea, sole illu-
 strior,

terior, à terrâ in cælum usque por-
recta: qui, post mortem, afflicto
cuidam, tuum auxilium petenti
conspicuis, dixisti: *Fili charissime,
Dominus te respexit; confide, & con-
fortare.* qui à discipulo tuo trium-
phans in cælo visus es. Age, ut ita
me ad triumphos illos præparet pe-
meum Custodem Angelum Deus,
ut Angelo meo semper, demoni
nunquam, obediam, quicquid fug-
gerat: quotidie, & manè, & vespere,
me parem diei æterno; & ibi, cum
bonis Angelis, ac tecum, in trium-
pho perennis gloriæ triumphem ad
majorem Dei gloriæ. Amen.

S. Leo Papa magne, qui Attilæ
flagelli Dei, furias, adstante tibi vi-
ro cælitus armato, fregisti.

S. Antipa, pro Christo in bovem
æneum candentem coniecte, inter
orandum extincte.

S. Domnio Episc. cum octo mil-
litibus Martyr.

S. Philippe Ep. Ecclesiæ propu-
gnator.

S. Eustorgi Presb.

S. Isaac Monache.

S. Basanuphi Anachoreta.

S. Godeberta Virgo, contra pe-
stem advocata.

OMNES SANCTI, &c.

S. MARIA, qua hodie in monte Ser-
rato lumen cæco restituiſti. Illumina
me, Domina, ut videam, ne ſim inter
cacos æternum!

12 Aprilis. Pridie Idus April.

SANCTE Alferi, è Legato regio Ere-
mita, qui à dæmone è monte
altissimo præcipitatus, incolumis
reſiſti, hominem ſaxo obtritum ſuf-
citâſti: oratione tuâ febres, den-
tium dolores, oculorum tenebras
fugâſti; mortuum vitæ reddidiſti;
quinque ova multiplicâſti, ut plu-
res homines ſatiârint; qui centum
viginti annos natus, ſexto ante
mortem die, Chriſtum tibi dicen-
tem audiſti: *Die Cœna mea venies
ad me; & abiſti lætus ac felix: qui
poſt mortem viſus Nicolao cui-
dam, caſto, ſed turpe quiddam,
illuſione dæmonum, patienti, dum
ſacram ſynaxim vellet accedere, nec
ſe per ullas preces, lacrymas, jeju-
nia, à ſordibus illis expedire valen-
ti, atque carnis munditiam à Deo
poſtulanti, dixiſti, eum aquâ ex arâ
erumpente lavans: Vade, quia jam
mundus eris; & ille, ab eo tempore,
fœda illa immundi ſpiritûs inqui-
namenta non ſenſit: qui quendam,*
X 3 obtentu